

sionem. Non relabamur unde jam transilivimus, nec remaneamus in illis in quæ jam venimus. Curramus, intendamus, in via sumus: nec tam sis securus ex eis quæ transisti, quam sollicitus pro eis ad quæ nondum pervenisti. « Quæ retro, inquit, oblitus in ea quæ ante sunt » extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Ipse est enim finis. Unum autem, hoc est illud unum, « Domine, ostende » nobis Patrem, et sufficit nobis<sup>1</sup>. » Unum autem, quæ et una dicitur in alio Psalmo, « Unam petii a Domino, » hanc requiram. Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt » extentus. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut » inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. » Propter quid? « Ut contempler delectationem Domini<sup>2</sup>. » Ibi enim gaudebo de socio, non timebo de adversario: ibi enim contemplator mecum erit amicus, non calumniator inimicus. Hoc desideravit iste Idithun, notum fieri sibi cum hic esset, ut sciret quid sibi deesset; et non tam gauderet de his ad quæ pervenerat, quam desideraret ea ad quæ nondum pervenerat; et quibusdam jam transilitis, non remaneret in via, sed desiderio raperetur in superna; usquequo ille qui quædam transilierat, omnia transiliret, et ab irroratione quadam guttarum dominicarum de Scripturarum nube venientium, veniret sicut cervus ad fontem vitæ<sup>3</sup>, et in illo lumine videret lumen<sup>4</sup>, et absconderetur in vultu Dei a conturbatione hominum<sup>5</sup>: ubi diceret, Bene est, ultra nihil volo, omnes hic amo, neminem hic timeo. Bonum desiderium, sanctum desiderium. Qui jam hoc habetis, congaudete nobis; et orate ut perseveranter habeamus, ne interscandala deficiamus. Nam et nos pro vobis hoc idem rogamus. Non enim nos digni qui pro vo-

<sup>1</sup> Joan. xiv, 9. — <sup>2</sup> Psal. xxvi, 4. — <sup>3</sup> Id. xli, 2. — <sup>4</sup> Id. xxxv, 10. — <sup>5</sup> Id. xxx, 21.

bis oremus, et vos indigni qui pro nobis oretis. Auditoribus suis quibus prædicabat verbum Dei, se commendabat Apostolus<sup>1</sup>. Orate ergo pro nobis, fratres, ut et quod videndum est bene videamus, et quod dicendum est bene dicamus. Cæterum hoc desiderium, novi, in paucis est: nec me optime intelligunt, nisi qui gustaverint unde loquor. Loquimur tamen omnibus, et habentibus tale desiderium, et nondum habentibus: habentibus ut nobiscum in illa suspirent; non habentibus, ut pigritiam excutiant, ima transiliant, ad dulcedinem legis Dominicæ veniant, non in delectationibus iniquorum remaneant. Narrant enim multa multi, et laudant multa multi, iniqua iniqui. Et revera et illa iniqua habent delectationem, sed non sicut lex tua, Domine<sup>2</sup>. Dicant ergo nobiscum qui credunt hæc dicere et nos. Negotium enim hoc intus est, nullis verbis ostendi potest. Sed qui hoc agit, credat esse et in alio: non solum se putet accepisse quod Dei est. Dicat ergo in his Idithun, « Notum fac mihi, Domine, finem » meum. »

VII. « Et numerum dierum meorum qui est<sup>3</sup>. » Numerum dierum quæro qui est. Sic possum dicere, sic possum intelligere numerum sine numero, quomodo possunt dici anni sine annis. Ubi enim anni, utique quasi numerus; sed tamen, « Tu idem ipse es, et anni tui non deficient<sup>4</sup>. » Numerum dierum meorum mihi notum fac, sed qui est. Quid ergo? Iste numerus in quo tu es, non est? Plane, si attendam bene, non est: si hæream, quasi est; si transiliam, non est: si ab istis me excutiens superna contempler, si transeuntia manentibus comparem, video quid verum sit: quid autem magis videatur esse, quam sit? Dicturus-ne sum esse istos dies meos? Hos, inquam, dies esse dicturus sum; et tam magnum hoc ver-

<sup>1</sup> Coloss. iv, 3. — <sup>2</sup> Psal. cxviii, 85. — <sup>3</sup> Id. xxxviii, 5. — <sup>4</sup> Id. ci, 28.

bum, huic cursui rerum labentium temere dabo? Ita ergo ipse deficiens pene non sum, ut exciderit mihi qui dixit, « Ego » sum qui sum<sup>1</sup>. » Est ergo aliquis numerus dierum? Vere est, et sine fine est. In his autem diebus dicam aliquid esse, si teneo de quo die me interrogas utrum sit: ut vel interrogas me, tene unde me interrogas. Tenes diem istum? Si tenuisti hesternum, tenes et hodiernum. Sed hesternum, inquis, non teneo, quia jam non est: istum autem teneo in quo sum, et qui mecum est. Ita-ne de isto excidit tibi jam quantum a prima luce transierit? Nonne iste dies a prima hora coepit? Da mihi primam horam ejus: da mihi et secundam ejus; quia forte et ipsa transvolavit. Tertiam, inquis, dabo tibi: forte enim in ipsa nunc sumus. Certe ergo sunt isti dies, et est tertia dies: et si tertiam dabis, non diem, sed horam dabis. Verumtamen ne hoc quidem tibi concedo, si mecum ista utcumque transilisti. Da mihi vel horam tertiam, ipsam mihi da in qua es. Si enim aliquid ejus jam præterit, et aliquid ejus adhuc restat; nec quod præterit mihi potes dare, quia jam non est; nec quod restat, quia nondum est. Quid mihi de hora ista, quæ nunc peragitur, dabis? Quid de illa mihi dabis, cui committam hoc verbum ut dicam: Est? Cum dicis ipsum Est, certe una syllaba est, et momentum unum est, et tres litteras syllaba habet: in ipso ictu ad secundam hujus verbi litteram non pervenis, nisi prima finita fuerit; tertia non sonabit, nisi cum et secunda transierit. Quid mihi de hac una syllaba dabis? Et tenes dies, qui unam syllabam non tenes? Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit; « De quo torrente ille in via bibit pro » nobis, qui jam exaltavit caput<sup>2</sup>. » Isti ergo dies non sunt: ante abeunt pene, quam veniant; et cum venerint, stare non possunt: jungunt se, sequuntur se, et non se

<sup>1</sup> Exod. iii, 14. — <sup>2</sup> Psal. cix, 7.

tenent. Nihil de præterito revocatur: quod futurum est transitorium expectatur; nondum habetur, dum non venit; non tenetur, dum venerit. « Numerum ergo dierum meorum qui est: » non istum qui non est, et quod me difficilius et periculosius perturbat, et est et non est; nec esse possumus dicere quod non stat, nec non esse quod venit et transit. Est illud simplex quæro, Est verum quæro, Est germanum quæro, Est quod est in illa Jerusalem sponsa Domini mei, ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies transiens, sed manens, qui nec hesterno præceditur, nec crastino impellitur. Hunc, inquam, « Numerum dierum meorum qui est, notum mihi fac. »

VIII. « Ut sciam quid desit mihi<sup>1</sup>. » Hoc enim mihi deest hic laboranti: ea quoad mihi deest, non me dico perfectum: quoad hoc non accipio, dico: « Non quia » jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem ad » palmam supernæ vocationis Dei<sup>2</sup>: » hanc accipiam pro mercede cursus mei. Mansio quædam erit finis currendi; et in ipsa mansione patria sine peregrinatione, sine seditione, sine tentatione. Ergo, « Notum fac mihi hunc numerum dierum meorum qui est, ut sciam quid desit mihi; » quia nondum ibi sum: ne superbiam ex eo in quo jam sum, ut inveniatur in illo non habens meam justitiam. In comparatione enim illius quod est, attendens ista quæ non ita sunt, et plus mihi videns deesse quam adesse, ero humilior ex eo quod deest, quam elatior ex eo quod adest. Nam qui putant se aliquid habere cum hic vivunt, superbiendo non accipiunt quod deest: quia magnum putant esse quod adest. « Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, » semetipsum seducit<sup>3</sup>. » Nec isti ex hoc magni sunt. Nam et inflatio et tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem.

<sup>1</sup> Psal. xxxviii, 5. — <sup>2</sup> Philip. iii, 12-14. — <sup>3</sup> Gal. vi, 3.

IX. Jam ergo iste transiliens agens quiddam in corde occultum, quod non novit nisi qui pariter agit; tanquam noto sibi facto sine suo impetrans quod rogavit, noto sibi facto numero dierum suorum, non qui transit, sed qui est, attendit ad hæc quæ transilivit, et comparavit notitiæ superiori: et tanquam diceret ei: Quare desiderasti numerum dierum tuorum qui est? quid enim de diebus istis dicis? De illo alio attendens hæc ait: « Ecce veteres » posuisti dies meos<sup>1</sup>. » Veterascunt enim hi, ego novos volo, novos nunquam veterascentes; ut dicam: « Vetera transierunt, ecce facta sunt nova<sup>2</sup>: » nunc in spe, tunc in re. Innovati enim fide et spe, quanta adhuc vetera agimus? Non enim sic Christo induti sumus, ut ex Adam jam nihil portemus. Videte veterascentem Adam, et innovari Christum in nobis: « Et si exterior, inquit, » homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die » in diem<sup>3</sup>. » Ergo ad peccatum, ad mortalitatem, ad prætervolantia tempora, ad gemitum et laborem et sudorem, ad ætates succedentes, non manentes, ab infantia usque ad senectutem sine sensu transeuntes, ad hæc attendentes, videamus hic veterem hominem, veterem diem, vetus Canticum, Vetus Testamentum: conversi autem ad interiorem, ad ea quæ innovanda sunt, pro his quæ immutabuntur, inveniamus hominem novum, diem novum, Canticum novum, Testamentum Novum; et sic amemus istam novitatem, ut non ibi timeamus vetustatem. Nunc ergo in hoc cursu transimus a veteribus ad nova: ipse transitus agitur cum corrumpuntur exteriora, et innovantur interiora; donec etiam hoc ipsum hoc exterius corrumpitur, reddat debitum naturæ, veniat in mortem, renovetur et hoc in resurrectione. Tunc fiet revera omnia nova, reliqua quæ nunc sunt in spe. Agis ergo aliquid

<sup>1</sup> Psal. xxxviii, 6. — <sup>2</sup> 2 Cor. v, 17. — <sup>3</sup> Id. iv, 16.

nunc a veteribus te exuendo, et in nova currendo. In nova ergo currens iste, et in ea quæ ante sunt extentus: « Notum, inquit, Domine, fac mihi finem meum, et numerum dierum meorum qui est, ut sciam quid desit mihi. » Ecce trahit adhuc Adam, et sic festinat ad Christum: « Ecce, inquit, veteres posuisti dies meos. » Veteres dies ex Adam, veteres illos posuisti: veterascunt quotidie, et sic veterascunt, ut aliquando etiam consumantur. « Et » substantia mea tanquam nihil ante te. » Ante te, Domine, tanquam nihil substantia mea, ante te qui vides hoc: et ego cum hoc video, ante te video, ante homines non video. Quid enim dicam? Quibus verbis ostendam nihil esse quod sum in comparatione ejus quod est? Sed intus dicitur, intus utcumque sentitur. « Ante te, » Domine, ubi oculi tui sunt, non ubi oculi humani sunt: quid ubi oculi tui sunt? « Substantia mea tanquam nihil. »

X. « Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens<sup>1</sup>. Verumtamen: » quid enim dicebat? Jam ecce transilivi mortalia omnia, et ima contempsi, calcavi terrena, ascendi ad delectationem legis Domini, fluctuavi in dispensatione numerorum dierum dominicorum, desideravi etiam finem illum, cujus non est finis; desideravi numerum dierum meorum qui est, quia numerus dierum istorum non est; ecce jam talis sum, tanta transilivi, in ea quæ stant si inhio: « Verumtamen, » sic quomodo hic sum, quandiu hic sum, quandiu in hoc sæculo sum, quandiu carnem mortalem porto, quandiu tentatio vita humana est super terram<sup>2</sup>, quandiu inter scandala suspiro, quandiu timeo ne cadam qui sto, quandiu mihi incerta sunt et mala mea et bona mea, « Universa vanitas omnis » homo vivens. Omnis, » inquam, et hærens et transiliens, et ipse Idithun ad universam vanitatem adhuc per-

<sup>1</sup> Psal. xxxviii, 6. — <sup>2</sup> Job. vii, 1.

tinet : quia omnia vanitas, et vanitas vanitantium<sup>1</sup> : quæ abundantia homini in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole<sup>2</sup>? Numquid et Idithun sub sole adhuc est? Habet aliquid sub sole, habet aliquid ultra solem. Sub sole habet evigilare, dormire, manducare, bibere, esurire, sitire, vigere, fatigari, puerascere, juvenescere, senescere, incerta habere quæ optat et timet : hæc omnia sub sole habet et ipse Idithun, etiam ipse transiliens eos. Unde ergo transiliens? Ex illo desiderio : « Notum fac mihi, Domine, » finem meum<sup>3</sup>. » Hoc enim desiderium ultra solem est, non est sub sole. Sub sole omnia visibilia : quidquid visibile non est, sub sole non est. Non est visibilis fides, non est visibilis spes, non est visibilis charitas, non est visibilis benignitas, non est visibilis postremo timor ille castus permanens in sæculum sæculi<sup>4</sup>. In his omnibus dulcedinem habens consolationemque Idithun, et ultra solem conversans, quia conversatio ejus in caelis est, ex his quæ adhuc habet sub sole, gemit ; et ista contemnit et dolet, in illa inardescit quæ desiderat. Locutus est de illis, loquatur et de istis. Auditis concupiscenda, audite contemnenda. « Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. »

XI. « Quanquam in imagine ambulat homo<sup>5</sup>. » In qua imagine, nisi illius qui dixit : « Faciamus hominem ad » imaginem et similitudinem nostram<sup>6</sup>? Quanquam in » imagine ambulat homo. » Ideo enim « Quanquam, » quia magnum aliquid imago hæc. Et hoc « Quanquam, » secutum est « Tamen : » ut illud quod audistis « Quanquam, » ultra solem sit ; hoc autem quod sequitur « Tamen, » sub sole sit ; et illud pertineat ad veritatem, hoc ad vanitatem. « Quanquam ergo in imagine ambulat » homo : tamen vane conturbatur. » Audi conturbatio-

<sup>1</sup> Lege *vanitatum*. — <sup>2</sup> Eccli. 1, 2, 3. — <sup>3</sup> Psal. xxxviii, 5. — <sup>4</sup> Id. xviii, 10. — <sup>5</sup> Id. xxxviii, 7. — <sup>6</sup> Gen. 1, 26.

nem ejus, et vide si non est vana : ut calces eam, transilias eam, et habites in excelsis, ubi non est ista vanitas. Quæ vanitas? « Thesaurizat, et non cognoscit cui congregabit ea. » O insana vanitas! « Beatus cujus est Dominus » spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mentes<sup>1</sup>. » Delirare tibi videor, avare, cum hæc loquor : anicularia tibi videntur hæc verba. Tu enim videlicet homo magni consilii magnæque prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura, fortassis et de eloquio, de juris-consultatione, de militia, addis et de fœnore. Homo cordatus nihil prætermittis omnino, unde nummus super nummum, et in occulto diligentius castigetur. Deprædaris hominem, caves deprædatorem : quod facis times ne patiaris, et in eo quod pateris non te corrigis. Sed non pateris : prudens enim homo es ; bene servas, non solum bene colligis : habes ubi ponas, cui committas, quomodo nihil pereat ex eo quod congregasti. Interrogo cor tuum, discutio prudentiam tuam : Ecce collegisti, ecce ita servasti, ut nihil possis amittere eorum quæ servasti, dic mihi, cui servas? Non tecum ago, non commemoro, non exaggero quidquid aliud mali habet avaritia vanitatis tuæ : hoc unum propono, hoc discutio quod mihi dat occasio lectionis hujus Psalmi. Prorsus colligis, thesaurizas ; non dico : Ne forte dum colligis colligaris ; non dico : Ne forte cum vis esse prædo, sis præda : hoc apertius eloquar ; fortassis enim cæcus avaritia non audisti aut intellexisti ; non dico, inquam : Ne forte cum vis esse prædo minoris, sis præda majoris. Non enim sentis esse te in mari, nec cernis minores pisces a majoribus devorari. Non dico ista, non dico difficultates et pericula in ipsa conquisitione pecuniæ, quanta patiantur qui eam colligunt, quam in omnibus periclitentur, in omnibus

<sup>1</sup> Psal. xxxix, 5.

pene mortem videant : transeo hæc omnia. Prorsus colligis nullo contradicente, servas nullo auferente : excute cor tuum, ac prudentiam tantam qua me derides, qua me insipientem putas hæc loquentem ; et dic mihi : Thesaurizas, cui congregabis ea ? Video quid velis dicere, quasi quod vis dicere, huic non occurrerit : dicturus es, Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis : Filiis meis, inquis, servo. Etiam servas filiis tuis. Ita-ne hoc non noverat Idithun ? Noverat ea plane, sed in diebus veteribus computabat, et ideo contemnebat ; quia ad novos dies festinabat.

XII. Nam ecce discussio te cum filiis tuis : servas transiturus transitoris, imovero transiens transeuntibus. Nam transiturum te sic dixi, quasi nunc maneat. Ipsum hodie : ex quo loqui cœpimus usque ad hoc momentum, sentis quia senuimus. Neque enim cernis et incrementa capillorum tuorum ; et nunc cum stas, cum hic es, cum agis aliud, cum loqueris, in te crescunt capilli tui : neque enim repente creverunt, ut tonsorem quæreret. Agitur ergo ætas transvolans et in intelligentibus et non sentientibus et in aliud male occupatis. Transis tu, et servas transeunti filio tuo. Primo hoc a te quæro : Scis eum possessurum cui servas ? aut si nondum natus est, scis nasciturum ? Servas filiis, incertum est an futuris, an possessuris : nec reponis thesaurum ubi reponendus est. Non enim Dominus tuus servo suo tale consilium daret, ut peculium suum perderet. Peculiosus servus es cujusdam magni patrisfamilias. Quod amas et quod habes ipse tibi dedit, et non vult ut perdas quod tibi dedit, qui et se ipsum tibi dabit. Sed nec hoc, inquam, quod tibi ad tempus dedit, vult ut perdas. Multum est, exuberat, supergreditur vires necessitatis tuæ, jam certe superfluum deputatur : nec hoc volo ut perdas, ait Dominus tuus. Et quid facio ?

Migra, ubi posuisti non est tutus locus. Certe servire vis avaritiæ : vide ne forte et ipsi avaritiæ congruat consilium meum. Habere enim vis quod habes, et non perdere : ostendo tibi locum ubi ponas. Ne thesaurizes in terra, nesciens cui congreges ea, et postea quemadmodum consumpturus sit qui possidebit, qui tenebit. Forte enim possessus possidebit, et quod a te habebit non tenebit. Forte cum ei servas, antequam ille veniat tu perdes. Sollicitudini tuæ consilium do : « Thesaurizate » vobis thesaurum in cœlo <sup>1</sup>. » Hic in terra si velles servare divitias, quæreret horreum : forte non crederes domui tuæ propter domesticos tuos : commendares ad vicum argentarium : difficilis est enim ibi casus, fur non facile accedit, bene omnia servantur. Quare ista cogitas, nisi quia non habes melius ubi serves ? Quid si dabo melius ? Dicam tibi : Noli commendare huic minus idoneo, sed est quidam idoneus, illi commenda : habet magna horrea, ubi perire non possint divitiæ ; magnus super omnes divites dives est. Jam forte dicturus es : Et quando audeo tali commendare ? Quid si ipse te hortatur ? Agnosce illum, non solum paterfamilias est, sed et dominus tuus est. Nolo, inquit, serve meus perdas peculium tuum, agnosce ubi ponas : quare ibi ponis ubi possis amittere, ubi et si non amittas, ibi permanere perpetuo tu non potes ? Est alius locus, quo te transferam : Præcedat te quod habes ; noli timere ne perdas ; dator ego eram, custos ego ero. Dicit tibi hoc Dominus tuus : fidem tuam interroga, vide si velis illi credere. Dicturus es : Perditum habeo quod non video, hic illud volo videre. Dum vis hic videre, nec hic videbis, et ibi nihil habebis. Nescio quos thesauros habes absconditos in terra, cum procedis, non eos tecum portas. Venisti ad audiendum sermonem, ad colligendas in-

<sup>1</sup> Matth. vi, 20.

teriores divitias, cogitas de exterioribus : numquid eas huc tecum adduxisti? Ecce nec nunc eas vides. Credis te habere in domo, quod scis te posuisse : numquid scis te non perdidisse? Quam multi redierunt ad domos suas, et quod posuerant non invenerunt. Hinc fortasse expaverunt corda cupidorum ; et quoniam dixi multos sæpe ad domum suam rediisse, et quod posuerant non invenisse, dixit quisque in corde suo : Absit, Episcopo, bonum opta, ora pro nobis, absit ut contingat, absit ut ita fiat, credo in Deum, quoniam quod posui salvum invenio. Credis in Deum, et non credis ipsi Deo? Credo in Christum, quia salvum erit quod posui, nemo accedet, nemo auferet. Securus vis esse credendo in Christum, ut nihil perdas de domo tua : securus eris potius credendo Christo, ut ibi ponas, ubi consilium dedit. An securus es de servo tuo, et sollicitus es de Domino tuo? securus es de domo tua, et sollicitus de cælo? Sed ego, inquis, quomodo pono in cælo? Dedi tibi consilium : ubi dico, pone : quomodo perveniat ad cælum, nolo scias. Pone in manibus pauperum, da egen- tibus : quid ad te quomodo perveniat? Non perducam quod ego accipio? An oblitus es : « Cum uni ex minimis » meis fecistis, mihi fecistis<sup>1</sup>? » Si haberet quispiam ami- cus tuus quosdam lacus vel cisternas, et quæque recepta- cula fabricarum ad servandum aliquem liquorem vel vini vel olei quæreret, ubi absconderet vel servaret fructus tuos, et diceret tibi : Ego tibi servo : haberetque ad illa receptacula occultos canales quosdam transitusque, ut per hos clanculo iret quod palam funderetur ; et diceret tibi : Quod habes, hic funde : videres autem tu non esse illum locum ubi ponere cogitabas, et timeres fundere : ille qui sciret machinamenta quædam occulta locorum suo- rum, non tibi diceret : Funde securus, hinc illuc perve-

<sup>1</sup> Matth. xxv, 40.

nit ; non vides qua, sed crede mihi, qui fabricavi? Fabri- cavit enim per quem facta sunt omnia, mansiones omnibus nobis : illuc vult præcedere quod habemus, ne hoc in terra perdamus. Cum autem servaveris in terra, dic mihi cui congregabis ea? Filios habes : unum plus numera, et da aliquid et Christo. « Thesaurizat, et non cognoscit cui » congregabit ea : vane conturbatur. »

XIII. « Et nunc : » Quando, inquit iste Idithun res- piciens vanitatem quamdam, suspiciens veritatem quam- dam, in medio positus quiddam sub se habens, quiddam supra se : sub se habet unde transilivit, supra se habet quo se extendit : « Et nunc, » ait, quando quiddam transi- livi, quando multa calcavi, quando temporalibus jam non teneor, nondum sum perfectus, nondum accepi. « Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, » non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si » autem quod non videmus speramus, per patientiam » expectamus<sup>1</sup>. » Ergo, « Et nunc quæ est expectatio » mea : nonne Dominus? » Ipse est expectatio mea, qui dedit omnia ista quæ contemnam : ipse mihi dabit et se, qui est super omnia, et per quem facta sunt om- nia, et a quo factus sum inter omnia, ipse est expec- tatio mea Dominus. Videtis Idithun, fratres, videtis quo- modo expectet. Nemo ergo se dicat perfectum hic : deci- pit se, fallit se, seducit se, non potest hic habere perfec- tionem. Et quid prodest, quia perdit humilitatem : « Et » nunc quæ est expectatio mea : nonne Dominus : » Cum venerit, jam non expectatur ; tunc erit illa perfectio : nunc autem quantumcumque transilierit Idithun, adhuc expectat. « Et substantia mea ante te est semper. » Jam proficiens, jam ad ipsum tendens, et esse aliquantum in- cipiens : « Ante te est semper substantia mea. Substantia

<sup>1</sup> Rom. viii, 24, 25.